

De Desiderio Patriae¹

Prorector magnifice, patres academiae venerandi, collegae amplissimi, commilitones ornatissimi, auditores suis quique nominibus honoratissimi!

Quod communi multorum sermone teritur jactaturque, ubi bene sit, ibi patriam esse, id quidem improbe dici et nequissimum genus levitatis prodere semper mihi visum est. quis enim patriam suam ut vestimentum mutare, veterique deposito novum idque pulcrius putet se posse induere? quemadmodum igitur conjuges parentes liberos nostros amamus carosque habemus. non eos solum, qui forma venusta ac reverenda nobis aut integra sunt valetudine, sed illos etiam quorum corpora deformitate quadam et naevo diffinguntur morbove affliguntur. ita et patriae caritas tantum abest. ut cogitatione calamitatum. quas in ea experti sumus, aut malorum. Quae ei immineant deprimatur, ut iis vel mirum in modum augeatur novasque inde vires capiat, omnes vero, ut cum Cicerone loquar, omnium caritates patria una complexa est. quare cum naturae beneficio mentibus animisque nostris alte sit insitum, ut, in quo primum lucem aspeximus et matris suximus ubera, angulus ille nobis praeter omnes alios rideat; insatiabili, si quando unquam eum relinquere et in aliena haerere terra nos oportuerit, semper ad eum desiderio instinguimur. neque raro hoc ipsum desiderium in gravissimum morbum vertitur, qui tamdiu aegrotum pectore coquit, dum a solo natali seclusus atque remotus est. eamque in lingua praesertim vernacula nostra notionem animadverto vigere, quae, uti sensum quendam profundiorum vocabulis suis saepe admiscere assolet, cupidum ilium patriae amorem pulcro nomine heimwehe appellare consuevit. sed et, qua hodie minus utimur


¹ This was Grimm's inaugural lecture at the University of Göttingen, held 13 November 1830 and originally printed in the *Anzeiger für deutsches Alterthum und deutsche Literatur*, 7 (1831): 320-6.


significanter, vocem elend, olim alilanti prolatam, nihil aliud sonasse quam exsilium plane concludimus ex origine ejus atque compositione, ita ut vel inde liceat colligi, nullum aliud malum gravius nullumque poenae genus videri acerbius, quam conditionem illam, qua quis patria sua carere debeat. neque facere possum quin vobis recitem locum poetae theotisci de duritie ac miseria exsillii conquerentis et in haec fere verba erumpentis:

wolaga elilenti
harto bistu herti
thu bist harto filu suâr
thaz, sagen ih thir in alawâr!
mit arabeitin werbent
thie heiminges tharbent
ih haben iz, funtan in mir
ni fand ih liobes wiht in thir
ni fand in thir ih andar guat
suntar rôzagaz, muat,
sêragaz, herza, joh managfalta smerza.

Cum itaque nihil sit amabilius, nihil copulantius patria nostra, spero aliquam huic oratiunculae gratiam esse accessuram, si in causas atque rationes, quibus illud desiderium maxime nitatur et alatur, paulo diligentius inquisivero.

Incipiam autem a securitate, quae nusquam major esse potest quam in patria. tunc enim tuti ac securi esse dicimur, quando loco et hominibus maxime credimus nihilque ab iis timemus. cuinam vero terrae in toto orbe plenior fidem habere possimus, quam ei quae nos aluit, cujus omnes vias et semitas a pueritia trivimus? in qua transegimus juventutem, dulcissimum vitae tempus, ad quod nullum aliud recordatione hominum ne procul quidem accedit? ibi montes et colles adspicere nos, ibi amnes atque rivi loqui nobiscum et familiaritatem quandam contraxisse videntur, quae externos ac peregrinos latet. quibusnam deinde hominibus tutius quam eis credere possimus, qui nos procreaverunt aut educaverunt, quorumque erga nos tenerrimi anions insignia atque






Source: Jacob Grimm, *Kleinere Schriften*, ed. Ippel (8 vols. Berlin: Dümmler, 1882), 4: 411-417

luculentissima existunt testimonia? a propinquis nostris nonne paratissimum auxilium exspectandum est nobis periclitantibus et in discrimen adductis? quid, quod e tumulis parentum, quorum ossa in patria terra cubant, voces emitti credideris, quae te provocent atque ad-moneant. magnum est enim eadem habere monumenta majorum, iisdem uti sacris, sepulcra habere communia.


Ex hac vero, quam dixi, securitate oritur dexteritas ad res gerendas maxime necessaria. quis est quin cernat, quanta vis sit in matre tellure, quae liberos suos benigne et abunde alit viresque eis ministrat. quocirca praeclare veterum fabula gigantes finxit terrigenas, quibus e contactione terrae natalis novum semper additum est robur, et qui, donec ista terra eis fuisset subducta, vinci atque necari non potuerunt. ita et patria rebusque a majoribus gestis quantum nos ad omnia quae agamus, omnesque quos suscipiamus labores roboremur firmemurque dici vix potest, ut taceam de poesi epica, quae nisi e fonte domestico scaturiat, jejuna semper et sine sapore est, ac ne exterorum quidem historia populorum vere nos delectat, cui indigenarum substrui nulla potest, ex quo intelligitur, amissa patria quodcumque tractemus nobis evanescere et irritum fieri, eorumque vicem plangendam esse, qui aut vana spe allecti solum mutant aut necessitate coacti domo emigrant, quibusque novam quaerentibus sedem omnis recordatio et memoria patriae occidit.

Nulla vero alia re vinculum et necessitudo patriae aequae illustratur et in lucem profertur ac communione linguae, in quo argumento sane praeclaro quamvis perspiciam nihil a me aut exquisitius aut reconditius dici posse, quin aliorum sit industria exhaustum, tamen eo versor libentius, quod illud studiis meis conjunctissimum esse intelligo. itaque ut sententiam meam breviter perspicueque ponam, nec gentem, quae linguam negligat patriam, vere florere, nec linguam a gente, quae libertatem suam amiserit, excoli posse contendo. linguae vero in plures dialectos divisio seu potius e pluribus dialectis conflatio cum historia diversorum populorum arctissimo et quasi visibili vinculo cohaerere videtur. qua in re non satis admirari possumus summam divini

numinis providentiam. principio enim videmus multitudinem gentium ubivis late pansam, innumerabilemque dialectorum copiam toto fere orbe sparsam, neque rudium et inconditarum, sed variis virtutibus excellentium. scilicet illorum opinio dudum satis explosa est, qui in prisca linguarum conditione non nisi horridam verborum materiem animad-vertere arbitrati sunt imanitemque confusam et aspredinem sonorum. duo potius elementa inesse linguis, alterum ad sensus pertinens, alterum incorporeum, adeoque duplicem efformandi sermonis rationem, suis quamque turn virtutibus turn incommodis conspicuam. agnoscunt omnes. primum igitur linguae stabilimentum atque incrementum in perfectione et mollitie positum est flexionum, radicibus abundat ad omnes res quae in sensus externos cadunt aptissime significandas sonisque praeterea plenis et suavibus distinguitur. postea vero flexionibus illis paulatim attritis radicibus magnus numerus interit obscuraturve, vocalesque plenae in tenuitatem abeunt nimis simplicem. hac tamen ipsa corporis, ut ita dicam, imminutione linguarum sensus ususque earum internus augeri, et quibus antea nondum adeo egebant particularum. compositionumque numerus in dies crescere atque extendi videtur ad notiones subtiliores. tum vero quae prius a se recesserant dialecti unius ejusdem aut etiam diversarum linguarum propius ad se accedere solent, pluresque in unam confusae et conjunctae majorem fundere linguam multoque potentiolem efficere. Quae cum ita sint, in tali dialectorum conflictu, discriminibus plurimarum gentium e medio sublatis, quam-quam dolebimus integritatem sermonis incorruptam non posse servari; re penitus expensa conjunctionem istam necessariam totique populo salutarem fuisse fatebimur. sic in Gallia videmus dialectum australem sive provincialem cecidisse locumque dedisse septentrionali. quae res quantum profuerit Galliae ad tollendas dissolvendasque parvas civitates in ejus medio antea constitutas, quantumque ad praepollendum magna auctoritate in omnibus fere Europae negotiis nemo non videt. simili ratione in regno Britanniae dialectus anglica praevaluit scoticae, duorumque regnorum



SPIN source text on
the history of cultural
nationalism in Europe
www.spinnet.eu




Source: Jacob Grimm, *Kleinere Schriften*, ed. Ippel (8 vols. Berlin: Dümmler, 1882), 4: 411-417

conjunctionem multo reddidit validiorem. et quamvis in Hispania sermo castellanus catalanum arragoniumve subegerit inque se receperit; vim atque potentiam totius peninsulae valde debilitatam et saepe fractam esse lingua portugallica sustentata servataque negari nequit. sed missis exteris regionibus oculos in patriam nostram figamus. atqui omnis populus, cui ut primores partes sustineat ceterisque altius assurgat praestitutum est, non solum ad justam territorii magnitudinem excrescat, sed et singulas gentes, quibus continetur, in unam familiam redigat necesse est. nondum tamen fata Germaniae expleta esse videntur. nam cum sub regibus saxonicae suevicaeque stirpis respublica nostra ad verum sensum popularem arctamque omnium membrorum compagem maturare potuisset; sequenti tempore diu labefactata gravissimum damnum ex eo passa est, quod ultimis quatuor seculis summa imperii penes domum austriacam constituta esset. ista enim domus, extra mediam Germaniam ac fere in limite nostro sita, slavicis, ungaricis italisque, quam gentibus germanicis ditior, unicam reip. causam plerumque neglexit ac ne intellexit quidem. inde factum est, ut literarum pariter ac linguae nostrae flos laetissimus tertio decimo seculo in patrio solo succrescens sensim languesceret exstinguere-turque, suevica vero dialecto, quae maximam Germaniae partem fausto omine jamjam invaserat, corrupta, tota lingua nostra ad irritum fere caderet. hoc igitur squalore et luctu tenebamur demersi, donec sexto decimo seculo vir, divino flatu tactus, Lutherus, cujus pietatem aequabat vis dicendi cum copia et suavitate conjuncta, omnem nobis restitueret rem patriam et non solum evangelii puritatem et simplicitatem postliminio nobis reduceret, sed et linguam in ore nostro resectam liberaret. ex isto enim tempore superioris Germaniae dialecti, qua in vertendis libris sacris recte et considerate utebatur, imperium, multarum terrarum expugnatione nobis utilius et praestabilius, firmiter stabilitum est; nec puto induci posse, ut interitum dialecti inferioris Germaniae deplorent, nisi imperitos aut qui parum anient remp. nostram. ceterae enim dialecti, cum vim atque dignitatem versionis Lutheranae nullo modo consequi possent, velut attonitae et stupentes, inde ab eo tempore ad solum usum domesticum et

familiaris restrictae, omni postmodum sublimitate narrandi omnique verborum granditate caruerunt.

Ut vero diligenter cuncta ponderemus, aliam quoque causam imminuti oppressique per longum tempus sensus popularis silentio non licet praetermittere. in qua commemoranda equidem hand vereor, ut vobis, auditores, displiceam, neque ut sententia mea aliter ac eam nunc aperiā a vobis accipiatur. itaque ingenue profitebor, linguae usum latinae apud majores nostras desiderio patriae diu obfuisse et quasi callum obduxisse. ea autem est rerum humanarum conditio, ut, quemadmodum mala ne cogitari quidem possint, quibus non aliquid boni admixtum sit, ita et bona prosperaque quae nobis eveniant consociatione quadam mali seu detrimenti minuantur et temperentur. et quamquam causa, quae illam nobis linguam peregrinam primum attulit, ad salutem nostram vehementer pertinuisse putanda est, aegre tamen patimur, primo statim tempore conversionis nostrae ad veram fidem linguam vernaculam a plurimis cultus divini officiis remotam et plane fuisse cohibitam. etenim cum clerici aliive, qui ad rempubl. administrandam adhibebantur, ecclesiastica plerumque institutione a pueris essent imbuti, consuetudo increbruit, ut non solum annales historiaeque latine conscriberentur, sed novae etiam leges in ista tantum lingua, sprete patria, conderentur et ingruenti paulatim juri romano omnes fenestrae late paterent.

Quo quantum et fere irreparabile damnum linguae moribus institutisque patriis, omni paene medio aevo, illatum sit, ita apertum et manifestum est, ut invitum illud dicam. neque tamen haec gravissima licet incommoda aliunde sublevata aut ulla alia re compensata sunt, illo enim tempore lingua latina non e fonte suo limpido ac perenni hauriebatur, sed e receptaculis stagnisque aegre stillabat scriptorum ecclesiasticorum, qui ad ingenia excitanda et efformanda minimum valebant, atque haec quidem rerum facies mutata est multoque melior facta, postquam in locum istius ignorantiae barbaricique, renascentibus bonis literis, antiquitas docta et erudita succedere coepit. quae quamvis innumeros discuteret errores multisque



SPIN source text on
the history of cultural
nationalism in Europe
www.spinnet.eu



Source: Jacob Grimm, *Kleinere Schriften*, ed. Ippel (8 vols. Berlin: Dümmler, 1882), 4: 411-417


malis medicinam afferret saluberrimam, omne tamen incommodum tantum abfuit ut funditus tolleretur, ut ejus causam quodammodo firmaret et latius propagaret. nam qui libros latinos die nocteque versabant viri docti tantum non omnes capti sunt linguae peregrinae dulcedine ac elegancia, propriam contemtui habentes latine quam vernacule scribere maluerunt. omnibus igitur, qui ingenii essent subactioris, sermonem latinum adeo praeferentibus, ut libros in eo componerent, carmina conderent, eoque vel ad epistolas familiares uterentur, qua tandem via lingua nostra, non dico ad eloquentiam, sed ad usum interiorum formari excolique potuit? quamquam credo eos, qui ita in semet ipsos saeviverint, apud posteritatem parum famae suae consuluisse. jam enim scripta eorum et carmina oblivione oblitterantur, contra libri lingua vernacula, stilo licet impolito et agresti conditi semper fere lectorem tenent. cur autem isti non amplius legantur causa est in propatulo. loquentes scribentesve sane id agimus, ut quod animo sentimus imoque volvimus pectore liberrime proferamus et effundamus. hoc autem fieri nequit, nisi verba ad notiones et sensus apprime omnia applicentur et sua sponte proveniant. atqui, si lingua utimur aliena, quae vivere et respirare desiit, necesse est, ut innumera verba remoram nobis faciant, quibus notiones notionumque intimos artus et nexus imperfecte aut plane non assequi possumus, ac ut semper fere e vinculis sermocinemur. illi enim scriptores imitabantur, non sui erant, pompam in dicendo quamvis inviti et paene nescii sectabantur, naturaliter et simpliciter nihil fere dicebant. ut uno rem verbo absolvam, calore vitali omnis locutio et oratio nostra, quamdiu linguam vernaculam deposueramus, caruit atque destituta fuit.

Grate igitur eorum beneficia interpretemur, qui ingenio scriptisque suis immortalibus jam effecerunt, ut sermo patrius efferretur et debito dignitatis gradu collocaretur. quo dudum ante nos Galli Anglique pervenerunt, eodem et nos fastigio tandem stare laetemur. neque usu linguae latinae justis jam limitibus circumscripto verendum est ut studia, quae ab humanitate nomen invenerunt, aliquid detrimenti capiant. quam sententiam si quis forte amplectatur, in promptu habeo quod ei respondeam. scilicet


graeca lingua, ad studia nostra non minus necessaria, ita a nostratibus colitur, ut non tantum ejus indolem atque naturam acutissime indagemus, sed etiam ex ejus scriptoribus nunquam non tractandis omnem fere fructum percipiamus, quem inde fas est percipere, quamvis ea lingua ad loquendum et scribendum non utamur. ita et studium linguae latinae nullo apud nos tempore interiturum esse confido, imo auctum iri, praesertim si plus operis et laboris ad grammaticam et historiam ejus contulerimus, quae copiosa adhuc explanatione egent.

Linguam vero patriam, quae summum firmamentum reip. est, indefesse colamus perpoliamusque, et quam late ilia vigeat, tam late Germaniam extendi non dubitemus. necesse est enim in tanta conversione et perturbatione rerum, qua hoc nostro tempore transitus ex recepta consuetudine in novum plane ordinem nobis portenditur, tum vigilantibus tum et dormientibus, amorem patriae caste servare, qui si manet, salvi etiam nunc esse possumus, nisi dii immortales nobis irascantur et succenseant. quapropter eo animo simus inter nos, ut decus et libertatem, ad quam nati sumus, impigre tueamur et ut oculi nobis scintillent altiusque corda palpitent, quoties dulce nomen patriae proferri audimus.

Ex hisce vero rostris ante decedere non licet, quam vobis, collegae amplissimi, grati animi sensum significavero, quod me, qui humili degebam loco, in gremium vestrum splendidissimum receperitis. honorificum sane videri debet unicuique, cui ad istam societatem hancque almam eruditionis sedem propius accedendi venia data est. arborem ajunt, quae aetate jam processerit, e solo natali extractam et in alienum transpositam locum minus laete crescere et radices difficulter agere. sed earn confido fore humanitatem vestram, ut, si forte uberiores non efferam fructus, paucis et pusillis, quos maturare potuerim, sitis contenti. vobis itaque persuasum habeatis, velim, me officii mei memorem illud semper acturum, ut quantum quidem pro



SPIN source text on
the history of cultural
nationalism in Europe
www.spinnet.eu



Source: Jacob Grimm, *Kleinere Schriften*, ed. Ippel (8 vols. Berlin: Dümmler, 1882), 4: 411-417

virium tenuitate licebit, partes mihi demandatas tuear atque sustineam.


Cum vero omnia quaecunque hominibus contingant bona de coelo ad nos descendant, a Deo Patre Optimo Maximo, agite nunc preces vota que pro rerum nostrarum salute et ineolumitate ad eum mittamus, qui omnium bonorum fons est atque principium.

Igitur, salvum fac Domine Regem nostrum Guilielmum quartum, patrem patriae augustissimum, rectorem hujus academiae magnificentissimum ac curatorem longe clementissimum!

Salvum fac principem serenissimum, qui vicaria regis potestate nostras terras sapientissime gubernat! totamque domum regis augustam numine tuo tueare!

Serva atque fortuna consilium regium, quod nostris rebus publicis praeest summum, hujusce curatores academiae illustrissimos ac prudentissimos. conserva denique academiam hanc Georgian! Augustam et hoc ei tribue ut antiqua ejus gloria et dignitas et conservetur et augeatur.

Dixi.
habita XIII nov. 1830.



SPIN source text on
the history of cultural
nationalism in Europe
www.spinnet.eu